*tum peccata noſtra nobis condonat, ſed etiã ſuam juſtitiã * largitur*

non tantum ſanguine ſuo nos emundavit, ſed adhæc induit veſte ſalutis & tunica juſtitiæ. Quę utraque de manu domini accepimus. Atq; hanc veſtem appellat *Iſaias cap. 6.* habitum ſacerdotalem, ſive ſanctum; *B. David in Pſalmo 29.* Ornamenta ſancta; *B. Joan. in Apocal. 19.* byſſum ſive ſericum candidum, quod eſt juſtitia ſanctorum. *Amos c. 6.* appellat flumina juſtitiæ; *B. Paulus Roman. 5.* gratiam ſuperabundantem; *ad Epheſ. 2.* divitias ſupereminentis gratię.

Magnitudo juſtitiæ Chriſtianæ.

Quæ omnia innuunt talem tantamq; juſtitiã, quantus eſt Deus ipſe, & quam humana cogitatione quidē concipere poſſit. Etſi enim noſtri protoplaſti in ſtatu ſuæ innocentiæ perfectam juſtitiam habuerunt, attamen ſuperabundantem non habuerunt, nec qualem hodie nos in Chriſto habemus. Hæc quippe juſtitia & ſanctitas, quam ipſe nobis per fidem donat, multis partib⁹ major eſt illa, quã Adam, etſi non peccaviſſet, nobis erat traditurus.

Chriſti juſtitia per ſuum meritum eſt major innocentia Adami.

Adhæc Chriſti extrema humilitas & obedientia Deo longe acceptior fuit, quam Adami innocentia: adeoq; non mille Adami unum Chriſtum æquaverint. Utcunque enim ille in ſtatu innocentiæ per-